

Carl Lucae

**Phoebus Novae Felicitatis Cattorum Amicus, In Coelo Academiae Hasso-Schaumburgicae Exortus Die III. August. Ann. M DC XCVIII. Cum Serenissimus Princeps Ac Dominus, Dominus Carolus I. D. G. Hassiae Landgravius ... Annum quadragesimum quintum ingrederetur**

Rinthelii: Enax, [1698]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832538035>

Druck    Freier  Zugang






~~Oswald Weigel~~  
Antiquarist & Auctions-Institut  
Leipzig, Königstr. 1.

1903  
weigl. coll. 5.9.11.

St. /  
2 inv.

A215




(Hessen)

R-1135

AK: 00 F.





# Index Scriptorum in hoc Volumen mine contentorum

- 1.) Frau- & Kindheit d. Dorotheen Auguste von Kursk-Prinzessin zu Russland, geborene Prinzessin zu Russland, Wolff von Wattenwyl, am Balh. Menzer Anthon-Phys. 1862.
- 2.) Programma Tubingense cum Joh. Ulr. Pregeri nomine Academia Panegyrica in memoriam Ludovici VI. Landgravius Hassiae Tübinga. 1878.
- 3.) Samuelis Andreae nomine Academia Marsurgensis Oratio Panegyrica in Carolum Hassiae Landgravium, cum Carmine Academia Genethliaco. Marsurgi 1890
- 4.) Caroli Luca Panegyris in Carolum

1.

1. Hassia Landgraviū & ejus natalem quadragesimum quintum. Gintellii 1698.
2. Jean Phil. Lāu Panegyris in nuptias Friderici III. Landgravatus Hassia heredis & Ludovicæ Dorotheæ Sophiae Regie Brandenburgie Principis. Berolini 1700.
3. Ludov: Grey: Ditsch Panegyricus Funeris in memoriam Dorotheæ Charlotte Hassia Landgraviae natae e domo Anoldina. Giesse 1605.
4. Ernest: Ludow: de Gemmingen Panegyricus Ernesto Ludovicio Landgraviō Hassia dictus Giesse Hassorum 1705.
5. Elegie sur la mort de Louise Dorothee Sophie Princesse Royale de Prusse Herrin d'arr de Westen Cassel decréé à Cassel 16 Nov: 1705.

9.)

- 9.) Castrum Doloris Georgio Landgraviis  
Hassia in Expugnatione Barcelona  
eiusdemq; Fortalitiis Non suis mortuo  
positum a Justo Eberhardo Passern  
Darmstadii 1708.
- 10.) Christophi Arnoldi de Voigt Oratio Pa-  
negyrica Hassiae iuventutis Prince-  
psibus dictus, eum Programmate Aca-  
demico & Carminibus Giesjæ Hassorum  
1707.
- 11.) Programma giesense in nativitatem  
Ludovici Hassiae Principis. Giesjæ  
Hassorum 1720.
- 12.) Frid: Herm: Zoll & Soh: <sup>13</sup> M: Gune-  
ci nomine Academie Bintelensis  
Orationes Funebrae Panegyrici in  
memoriam Caroli I. Hassiae Land-  
gravi.

gravii eum Programmate Academicō. c. finit  
Hintelk 1730.

14. 13) Christoph. Frd. Fürmanni Volum Occasio-  
ne Connubii Maximiliani & Friederice Char-  
lotte Principum Hassia 1720.

15. 14) Epusdem Luctus in funere Principis Her-  
editaria Hasso-Darmstadiæ Data Comi-  
cis & Heredis Hanovia. Giesse 1726.

16. 15) Christiani Brueckhauppii nomine Ade-  
mia Julia Gratulatio Solemnis in nuptiis  
Friederici Landgravi Hassia Principi;  
eum Carmine Academia Göttingensis  
& alio Germanico c. finit Helmst.  
1740.



# PHOEBUS

NOVÆ FELICITATIS  
CATTORUM AMICUS,

In Cœlo

Academie Hasso-Schaumburgicæ

Exortus

Die III. August. Ann. / M DC XCVIII.

Cum

SERENISSIMUS PRINCEPS

AC DOMINUS,

# DOMINUS

C A R O L U S I.

D. G. HASSIÆ LANDGRAVIUS,  
PRINCEPS HERSFELDIÆ, COMES  
CATTIMELIBOCI, DECIÆ, ZIEGEN-  
HAINÆ, NIDDÆ ET SCHAU-  
BURGI, &c. &c. &c.

Annum quadragesimum quintum ingrederetur,

Ostensus

à  
CAROLO LUCÆ, LL. Stud.



RINTHELI,  
Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.

1692



POTENTISSIMO  
CATTORUM HEROI  
*SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO,*  
DOMINO  
CAROLO I.

D. G. HASSIÆ LAND-  
GRAVIO, PRINCIPI HERSFEL-  
DIÆ, COMITI CATTIMELI-  
BOCI, DECIÆ, ZIEGENHAINÆ,  
NIDDÆ ET SCHAUMBURGI,  
&c. &c. &c.

Domino suo Clementissimo,  
FELICITATEM!

# HEROS POTENTISSIME



unus aliquod prisci Romani anni-  
versario *Genio* solvebant; TIBI  
*Potentissime Heros*, tanquam  
vero Hassiæ *Genio* Deoque terre-  
stri natali Tuo munus solvere fas,  
imò summæ necessitatis est. Apud Persas enim  
quoque olim legibus & moribus sancitum erat,  
ne quis Regiam Majestatem adire auderet sinè  
aliquo munere, quemadmodum nefas est acce-  
dere ad altare sinè donario. Rectè propterea &  
religiosè fecisse videntur, quod eos qui in terris  
divinâ quodammodo vice funguntur, divino  
quoque honore communicarint. Si quis autem  
unquam ab ultima etiam vetustate dignus exstitit  
omni cultu & veneratione, Tu *Potentissime*  
*Heros* consentiente omnium fama in hoc ordine  
principem locum jure TIBI vindicas. De Tuo  
enim Heroico animo Cygni & literæ undique  
loquuntur, imò nomen Tuum ad astra tollunt;  
& in Tuis laudibus decantandis vel Eloquentis-  
simi obmutescunt. Ego ideo humilis licet &  
umbraticus Musarum filius, ausus sum, blandâq;  
vi coactus hōc faustissimo Tuo Natali donari-  
um aliquod pulvinari Tuo inferre. Ut ignis  
enim celari non potest, quin aut fulgore suo aut  
calore

calore prōdatur: ità vehementes affectus etiam  
nolentibus nobis & invitis erumpunt. Fateor  
quidem, me non minus terrore quam gaudio ex-  
inde perfusum esse, verùm quantum mihi justi-  
timoris affert rei hujus consideratio, tam me re-  
ficit & recreat partim exellens animi Tui benigni-  
tas & moderatio, partim argumenti conscienti-  
æque meæ fiducia. Non enim alia mente hoc  
chartaceo munere ad *TE Potentissime Heros*  
accedo, quām ut observantiam & devotionem  
meam profitear. Munus quidem impar Numini  
Tuo si pretium inspicis: sed quod tamen *virtu-*  
*tum Tuarum* nomine, quæ non solūm invidiam  
vicerunt, sed & mortale fastigium supergressæ  
sunt potissimum allubescet. Suscipe igitur  
*Potentissime Heros* hoc simplex erga Te pietatis  
pignus, triviale quamvis & Serenitatis Tuæ co-  
thurno longè inferius, sinceræ tamen devotionis  
certissimum *τερπνίεσσον*, suscipe illud serenâ fronte &  
clementissima Tuabenevolentia illud complecti-  
ne dignare. DEUS TE servet omni felicitate  
& gloriâ florentem quām diutissimè, quod vo-  
vet, qui Hasiam Tuam PACE avet fortunatam  
esse semper

TIBIq;  
**POTENTISSIME HEROS**

Devotus

CAROLUS LUCÆ.



(TIT.)

## TANDEM POST NUBILA PHOEBUS.

**I**ta liceat mihi, vestra omnium  
pace, auspicatissimo bujus diei ex-  
ortu, illaque anniversaria Mu-  
sarum nostrarum festivitate, quâ  
**DIVO ACADEMIÆ NU-**  
**TRITIO**, solenne pietatis officium persolven-  
dum est, exclamare. Tandem enim lætiora data  
sunt dicendi argumenta, tristitia nostra toties  
iterata in lætitiam, lessus & planctus pristini in  
jubila, lachrymæ & lamenta in acclamations  
votivas sunt conversæ. Biennium enim est cùm  
diem huncce quoq; Serenissimi Principis nata-  
lem, summâ mentis exultantis lætitia & intimo  
pariter gratitudinis sensu vobiscum celebrarem,  
Maximique Principis Virtutes, queis tota Ger-  
mania in admirationem rapitur hac ex Cathe-  
dra, sermone quidem paupertino, at mente tamen  
B devo-

devotissima adorarem, grataque tot beneficiorum recordatione, quæ à Clementissimo LANDGRAVIO in me derivata sunt revocarem, unicum erat, quod voluptatem nostram nostraque gaudia turbabat, commotus nempe & variò animorum impetu concitatus mundus, gentes per orbem terrarum omnem, aut implicatæ jam multo bello, aut in dissidia alternasque clades erumpentes, summi terrarum Rectores alibi jam armis certantes, alibi ad propugnandos suos causamque communem tuendam ex acuentes se invicem. Nunc verò, quæ ineffabilis DEi erga nos benignitas est, lætitiis omnibus læti, salutis juxta & votorum nostrorum summam tenemus. Quandoquidem enim post immensa nubila, post atrocissimas Bellonæ tempestates, post pericolosam planeque pertimescendam belli aleam, Jucundum illum Phœbum, auream istam PACEM quam omnes optant, singuli amant; quam norunt pauci, merentur qui boni sunt iterum triumphantem videmus. PACEM, quæ juxta Augustinum serenitas est mentis, tranquillitas animi, vinculum Amoris, consortium charitatis, cernimus redditam & redivivam.<sup>(a)</sup> Spectamus Germaniam iterum in pristino vigore, Martis periculis liberam, Bellonæ curis solutam, PACE florentem, tranquillitate gaudentem, Deo liberè

servi-

(a) v. August. de Civ. Dei.

servientem. Propterea magis aptum piumque est,  
hodierna solennitate immortali DEo persolvere  
gratias, & temporis curriculum remetiri animo  
atque ex aliorum eventis casibusque felicitatem  
Patriæ, ex quâ nostra profuit, ponderare, dicen-  
doque PRINCIPIS laudes, quantum in multis  
illis præclarissimis rebus pro salute rei Christia-  
næ superioribus annis gestis, ubique virtus ac for-  
titudo Ejus emineat, quamque illustria in ean-  
dem merita Illius sint, gratis vocibus referre.  
Nam quamvis Gloriæ Ejus, nil quicquam  
oratione nostra accedere possit, quam totubique  
Principes, tot fortissimi exercitus, meliorque  
orbis certatim prædicant, malitque Ipse lau-  
danda facere, quam laudibus ferri, interest  
tamen Musarum nostrarum, tantæ tamque imu-  
sitatæ virtutis non immemores videri. Faceffere  
ideò meritò jubeo illos qui officiis ex consuetudine  
ponunt modum, et si quid novum aut insolitum  
videatur, tanquam onus declinant humerosque  
subducunt. Ast, uti non quævistellus fert omnia,  
sic nec omnis ætas omnes officii numeros implen-  
di occasiones suppeditat. Si enim Historicorum  
evolvamus monumenta, annalesque Majorum,  
certè ferè nullum huic simile occurret seculum,  
in quô una serie sceleratus amor Martis magis  
sæviit, quô Christiano Muhammedoque cruore  
magis rubuit Danubius & Dravus, Volga &

Bory-

Borysthenes, Rhenus & Mænus, Mosa & Mosella,  
Archipelagus sinusque Lepanticus, quô Germania  
imò tota Europa majoribus armorum fluctibus concussa est: Ut ferè licitum fuisset canere:  
*Ab Domine! quæ in tempora nos reservasti?*  
Sæcula vœ! vœ secula! vœ! vœ ferrea secla!  
Sæcula. Noæam digna videre ratem.

Exegimus enim seculum, incredibili temporum varietate, multis maximis casibus periculisq; ac cæteris rerū difficultatibus vicibusq; memorabile; Nosque Teutones sensimus præprimis gravia hujus seculifata, sensimus, quid sit dirum illud Bellonæ nomen. Adeo! ut quicunque Patriam nostram intueretur, cerneret profectò variarum dissensionum veluti oceanum, apertum Martis campum, Pacis & Tranquillitatis sepulchrum. Nam in initio hujus sæculi statim Germaniæ Proceres propter ligiam & unionem in duas dividebantur partes, inde enascebatur horrendum illud bellum Bohemicum, quod tandem per omnem Germaniæ partem exarsit, illamque quam latè patet, miserabilis ruina involvit<sup>(b)</sup>. Hoc demū post triginta annorum spatiū in PACE Monasteriensi sublato & extincto, astuti tamen Illius Galli cristam ejusdemq; cantum hactenus una ex parte formidare; cui solenne est dolum cuncta media nocendi, horrenda incendia, mise-

randas

(b) Conf. Horn. orb. Imp. cum animadv. Feller. p. 103.

randas vastationes sub pallio Rationis bellicæ te-  
gere ac occultare; altera parte Bicornis Lunæ  
acinaces nostris gulis semper imminuit; & ne  
prope diem de nobis actum esset, vereri debuimus.  
Ast patientia nostra tandem nobis parta est pal-  
mam: Duoque illa astra aurei Phœbi, quasi  
Castor & Pollux longis suspiratibus expetita,  
tandem turbido huic mari illucere cœperunt, quā  
mox diuturna illa belli armorumque tempestas  
fluctu, malaciaque omnium animos exhilarante,  
resedit: Martius ille furor detumuit, & Germa-  
nia nostra, deposito squalore, vernantis lœtitiae  
Togam induit, ac velut exuta senectute juvenilis  
ævi florem venustatemque recepit; hoc est unico  
verbo optatissimâ PACIS aurâ revivere cœpit &  
respirare. Ideò nullus similis in major præteritô  
notabitur annus, qui contra Orientes illos Tyran-  
nos exellentiorē nobis dedit victoriam, qui de-  
inceps pro atro Marte candidâ reddidit PACEM,  
cui nil dignius nil melius, cui in rebus humanis  
nil gratiosius soleat audiri, nil delectabilius con-  
cupisci, nil utilius possideri. Quæ est Mater omnis  
felicitatis, quæ opibus regna auget, ornamenti illu-  
strat, præsidii firmat.<sup>(c)</sup> Pium nihil ominus  
erit hocce debitæque Patriæ nostræ Patri  
**CAROLO HEROI**, ob PACIS hanc olivam,  
gratitudinis indicium & experimentum. Ita enim

c

corda-

(c) v. Canonh. flor. Polit. p. m. 472.

cordati & grati ac explicandi per quasvis occasio-  
nes officii tenaces judicabunt, ita cuncti qui vim  
amoris & gratitudinis stimulus intelligunt, ita  
singuli qui beneficia divinitus in nos collata, non  
vulgisensu illo profano, sed verò pretio dijudicant  
existimabunt, rectè factum, quòd lètos bosce  
**PRINCIPIS** natales, noluerim bruto quodam  
transmittere silentio, sed indicta Panegyri, gau-  
dium quodea propter insinu tacita vovebam, voce  
mea et si balbutiente, in publicam proferre lucem.  
Date propterea aures propensas; favete dictis,  
rudemque meam dicendi facultatem vel potius in-  
opiam, veneranda vestra gravig, auctoritate &  
favore conciliate. Cum non meros Æschines ha-  
buit domesticæ gloriæ buccinatrix Græcia. Neq;  
semper Tullios aut Hortensios pro rostris Roma-  
næ potentia. Quin sicut **CAROLUS** nō desinit  
esse **MAGNUS** etiam ex parvo ore pronuncia-  
tus: Ita tantum abest, ut nominis Carolini ma-  
gnitudinē mea parvitas verba faciendo diminuat,  
ut potius si non aliquo progressu, saltem ausu magno  
**CAROLI NOSTRI** divinas Virtutes commen-  
da vero. Postulat id Heroibus in æternum con-  
ferendus honor; flagitat id Principali culmini  
& coronatis capitib⁹ plusquam debita veneratio.

Primò verò A. A. agnoscamus, inter preces &  
vota grande hoc DEI T.O. M. beneficium, quō  
Germania post maximas calamitatum clades in-  
estimabile

æstimabile PACIS munus conseqvuta est: exultamus & gloriamus ob concessæ PACIS triumphum. Meritò veneramur DEUM, ut Hassiam nostram tam clementer custodierit, ut gangræna tristissimi hujus belli decennalis per articulos ejus terræ serpere haud potuerit, ut in mediis universi orbis tenebris intemeratam veritatis lucem conservaverimus. Inter maxima enim mala, magnum certè illud est, nullaque à mente mortali excogitari potest major pæna, quā affligi gentes populique valeant, quam bellicis tumultibus populationibus & cædibus. Certè non opus erit configere ad ruinam Hierosolymorum, ad vastitatem Palæstinæ, ad bellum civile, quod inter se gesserunt Filii tres LUDOVICI PII Imp. in quo plusquam centum millia hominum in primo conflictu cecidisse perhibentur: <sup>(d)</sup> Non ad sor tem Waldensium, cum jussu FRANCISCI I. Regis Galliarum extirparentur funditus: <sup>(e)</sup> Non ad lanienam Parisiensem, <sup>(f)</sup> aut ad alia vetera exempla, quæ quælibet abunde suggesta historia: Etenim vereor ne

Tempore deficiar, tragicos si persequar ignes,  
Vixque meus capiet nomina nuda liber. <sup>(g)</sup>

Unicum saltem testem invoco, terram nempe Pa latinam, illa sane amphitheatum & area in fausti

(d) v. Matth. Theat. Histor. in vit. Lothar. I. (e) v. Sleid. l. 16. p. 365.

(f) conf. Buffier. Histor. Franc. part. 4. lib. 20. & Franckenstein.

Nupt. Parisiens. (g) Ovid. lib. 2. trist. p. m. 335.

fausti hactenus istius fortunæ ludifuit; illa prob-  
dolor! experta est verum esse illud Poetæ:

Omnia vertuntur, mutantur, circum aguntur,  
Non est quod constans maneat in tempore belli.

*Ubi enim jam es Caput Vangionum vestissimum Wormatia? Ubi Tueruditorum olim mater & nutrix Heidelberga? Ostende Te etiam paullum augusta Nemetum, juridicoque conventu totius Imperii nuper clara Spira? Urbes, ante intemperien Martis, ædificiorum structuris, templorum molibus, fontium deliciis, viarum nitore, & omni elegantiâ ornatissimæ, pulcherrimæ, de quibus omnibus jure dici poterat, quod in Viennâ Austriæ laudatur, ut quæ sint civium domus ex Principum palatia esse videbantur.<sup>(h)</sup> Et, quod Salvianus Massiliensis Episcopus de Aquitania, illud ipsum de Palatinatu effari nuper poterat.<sup>(i)</sup> Sed, jam heu miram miseramque faciem! immensus ille tractus, & omnium deliciarum sedes; vastus attritusque apparet, baud aliter, quam si cœlesti quodam igne deflagratus esset. Et quid? quod horrendum! eversa conspectaque passim tristissimaque Regionum funera ibi recenscat? Quis sine lachrymis, augustissimorum Heidelbergensium fontium & machinarum aquarum tractoriarum vastationes, Spirensium montis oliveti, Wormatiensium templorum &*

turrium

(h) v. Æn. Sylv. epist. 65. (i) conf. Salvian. lib. 7. degubernat. Dei.

turrium, sese altius è terra attolentium, quām tur-  
ris Babylonica; nefandam ruinam & cadavera  
aspiciet? quō tamen ab horrendo facto ac instituto  
ipsi ab horruerunt gentiles.<sup>(k)</sup> Profectò ingemisco  
quoties calamitatem horum miserorum animo  
concipio meo: Doleo, Principum pulsorum red-  
ditorumque sedibus suis, amplissimarum Regio-  
num continentí incendio consumptarum, agro-  
rum, sylvarum excidii: Comiserationem deniq;  
omnium merentur ædificiorum vestigia non mi-  
nus ambitiosè quām crudeliter deleta, sua religi-  
one & vetustate verenda Imperatorum Sepul-  
chra direpta eversaque penitus, prostrata sacra  
illa Themidos domicilia. Satius autem erit tac-  
turnitatis velo obumbrari, quicquid detegi sine  
horrore non potest; dum imò mala præteriti belli,  
vel me tacente, per se satis sunt loquentia. Quod  
si autem nos A. A. Palatinatus imaginem, quā his-  
ce temporibus fuerit jactata, animo debitè com-  
plectimur exactiusque excutiemus, dum demùm  
bonā satis fide intelligemus, quantum DEI erga  
nos sit beneficium, quantumque meritum, quod  
nos opes & fortunas nostras, vitam & felicitatem  
præhis tantà belli miseriâ defunctis in tutò collo-  
caverit; adeò ut boves nostri tuti rura peram-  
bulare, navitæ undique pacatum per fluminan no-  
stræ terræ volitare potuerint: Ut Respublica

D

nostra

(k) v. Polyb. lib. 5.

*nōstra semper inflore, semper in vigore manserit:  
Ut ingenuæ artes in Scholis & Academiis ex-  
cultæ, templaque Magnifica per oppida, deco-  
ra per pagos, semper adhuc erecta, collapsare-  
staurata, redditibus ditata sint.*

*Secundò autem hodiernô die A. A. gratulamini  
quoque CAROLO I. D. G. Hass. Landgra-  
vio, Principi Hersfeldiæ, Comiti Cattimelibo-  
ci, Deciæ, Ziegenhainæ, Niddæ & Schaum-  
burgi, Domino nostro Clementissimo. Ejus  
enim subsidiaria ope, post summum Irenarchum,  
à vastitate & solitudine jam iterum Germania  
est excitata, Ejus ope Hassia nostra floruit, cui  
felicitatem, tranquillitatemque in mediis terra-  
rum turbis conservavit. Totum ergo etiam  
terrarum orbem Heros noster Invictissimus,  
nominis sui fama implevit, ut meritò ætas nostra  
cognomen MAGNI Ipsi dare possit, dum jam o-  
mniū linguis celebretur, dum imò à cunctis Ve-  
rus Pater Patriæ, ceu alter Trajanus, Pater o-  
mniū bonorum, ceu alter Pertinax, Populorum  
Pastor, ceu alter Agamemnon, uno ore saluta-  
tur; Pagana antiquitas multa olim de Diis suis  
ingeniosè commenta est, & nescio quos Joves,  
Saturnos, Martes, Neptunos, Hercules somnia-  
vit<sup>(1)</sup>: Sed Hassiacā domus familiares suos Deos  
longè veriori ~~tempore~~ in cælum in ferre & colere  
posset;*

<sup>(1)</sup> Conf. Diodor. Sicul.

posset; cum illam solam natura omnibus virtutibus cumulaverit, & illa sola naturæ universas ferè virtutes repræsentaverit. Quid enim de PHILIPPO MAGN ANIMO primò sentendum? qui patre WILHELMO MEDIO Cubam Palatinatus urbem oppugnante, in hac Martis arce, ut à tempore & loco Martiam in dolem licuerit ominari; est natus<sup>(m)</sup>. In quo uno tota sese compendiō inclusit virtus, dum felici ductu quotquot heroes tulerunt secula in uno delineavit. Cujus auspiciis colloquium Marpurgi inter B. Lutherum, Melanchtonem, Zwinglium, & Oecolampodium habitum est<sup>(n)</sup>. Qui spiræ in comitiis ipse cum reliquis Principibus adversus Decretum protestatus est: Augustanam Confessionem cum sociis Imperatori obtulit<sup>(o)</sup> & inter Smaldalicifæderis primos autores fuit<sup>(p)</sup>. Quid de WILHELMO IV. quem propter sapientiam admirabilem Germania est mirata tota & exteri Reges<sup>(q)</sup>. Qui verè Nestor sui temporis erat & alter Atlas. Nestor quidem, quippe ad quem ab Imperatoribus, Franciæ, Angliæ, Poloniæ, Sveciæ, Daniæ, Regibus & plerisque Principibus Imperii crebræ literæ veniebant frequentesque legati, quibus, gravissimis de negotiis tam sapientē dabat responsonem, ut qui semeleum audivissent,

ipso

(m) Thuan. l. 41. p. m. 544. (n) v. Luth. Tom. 4 Altenb. f. 560.

(o) Conf. Luth. Tom. 5. Altenb. f. 525. (p) Sleid. l. 7. p. 204.

(q) Conf. Spen. Syllog. Geneal. Hist. p. 675.

ipso consultore s<sup>e</sup>pius uterentur. Atlas verò tantā  
enim rerum mathematicarum scientiam sibi com-  
paraverat, ut non solum pr<sup>æ</sup>stantissimis in hac  
arte artificibus palmam ambiguam redderet, sed  
etiam multi hic profecti ab eo discere haud eru-  
bescerent<sup>(r)</sup>: notari posset? Quid judicandum de  
**MAURITIO**, Principe in quo non pauca com-  
mendari merebantur, & qui ob hoc non exiguæ  
priori tempore autoritatis fuit, qui Legatis ad  
eum missis deg̃ gravissimis negotiis sententiam ab  
eo rogarantib<sup>o</sup>, eâ lingua, quâ quisq; proponebat, cum  
omnium admiratione respondere consueverat<sup>(s)</sup>.  
Quid de **WILHELMO V. CONSTANTI**?  
Cujus anima libertatis Germanicæ & professionis  
fidei secundum **DEI** verbum sinceræ integre  
conservandæ, defendendæ adeò immota hæsit  
constantia, ut difficilimis etiam temporibus mini-  
mè flecteretur, nedum frangeretur, unde **CON-  
STANTIS** nomen promeruit<sup>(t)</sup>. Quid de **WIL-  
HELMO VI. VIRTUOSO**: Principe huma-  
nissimo: à quô ipsa virtus & fortuna ipsa nominis  
ac famæ suæ æternitatem accepisse videntur?  
Quid verò de **CLEMEMTISSIMO NOSTRO  
CAROLO**? quid dicam, A. A.? Evidem si  
Poëta essem, pectus mibi optarem æreum, linguas  
centum; si orator, enthymemata Demosthenis:  
nunc

(r) Hoc de eodem testatur *Job. Crocius* in *Orat. de vita & obitu Mauriti*  
Landgravi. (s) v. Mausoleum Mauritianum.

(t) Conf. Henr. Duising. Panag. in obit. Wilhelm. Sexti Hass. Landgr.

nunc qui neuter sum, potius utar Papæ cujusdam,  
ad Imperatorem scribendis verbis; & audenter  
dicam, non si omnia silvarum ligna vertantur in  
linguas, suffecturas tamen commemorandis tot  
virtutum exemplis. Etenim

Micat inter omneis  
*Catticum* sidus, velut inter igneis  
Luna minores.<sup>(u)</sup>

Audiat universa Posteritas, & in Annales re-  
latum discat, ac sœpissime ruminetur, facta  
**CAROLI** gloriosa non pro gloria sed salute, pro  
aris & focis suscepta: Is enim tam gravia bella  
gessit, tantisque difficillimis interfuit pugnis, in  
quibus semper magnô utring animô plus quam leo  
certavit, semper imperterritus, semper impavidus,  
fidens fortunæ, confidens DEO: Illi enim:

Prospera non inflent animum, non aspera frangant,  
Ultra cadat, neutra mens generosa cadat.<sup>(w)</sup>

Quatuor alias in summo Imperatore calculo Po-  
liticorum requiruntur. Virtus, Scientia rei mili-  
taris, Auctoritas, Felicitas<sup>(x)</sup>. Qua ratione quoq;  
si juxta dictum Platonis, Virtuosus sive prudens  
solus sis sit, quisibi & reipublicæ consulere possit,<sup>(y)</sup>  
eō amplius prædicanda PRINCIPIIS NOSTRI  
Virtus est quo magis ab ipso statim regiminis au-  
spicio illis rebus, quæ maximum Reipublicæ usum  
præbent sufficere visus est. Sunt verò adhuc

E

gravio-

(u) Horat. Carm. lib. i. od. 12. (w) Schönborn. lib. 2. Polit. cap. 25.

(x) v. Meibom. Elogium Elect. Brandenb. Frider. Wilh. Herois Incomparabilis.

(y) Conf. Keckerman. Synt. Polit. lib. i. p. m. 101.

graviores causæ, in quarum curis *Virtus Ejus*  
patuit, tutela Religionis & Libertatis Germaniæ  
communisq; Europæ commodi. Sciatis enim A.A.  
neque sereno placidoque cælo, cùm tranquillum  
est mare diesq; & venti ferentes favent de peritia  
animoque naucleri æstimari verè potest, sed cùm  
tonant æthera, undantiaque flumina in horrent  
tenebris & præliantes invicem venti motis flu-  
ctibus incumbunt deprehensamq; navem obruunt.  
Cujusmodi quidem tempestates, divina quadam  
vi lumen præferente menti, quasi ex speculâ pro-  
spexit **SERENISSIMUS LANDGRA-**  
**VIUS**, non imprudens ejus procellæ, quæ ad  
Alsatos vergere olim visa in viciniam etiam de-  
inde gravissimè incubuit. Itaque maturè satis  
periclitantis Patriæ fata suscipere animo cœpit,  
instruere copias, in congressum colloquiumque in-  
vitare vicinos remotosque Principes & firmiori-  
bus præsidiis suis præmurale illud Hassiæ Fran-  
cofordiam augere ; fac enim, Francofordiam  
(*DEUS, omen hoc averte!*) à Gallis captam ;  
audio jam in Hassia in Thüringia, in vicinisq; oris  
tumultuari. Magnum propterea sanè benignitatis  
divinæ testimonium ! Magnum **CAROLI** in  
nos beneficium ! Quis deinceps **CAROLO**  
quog; felicior? qui exemplo Alexandri M. et si plu-  
rimū debeat virtuti, plus debeat fortunæ : <sup>(z)</sup>

Qui

(z) v. Curt. lib. 7.

*Qui non præceptis, non alienis exemplis, sed suis  
imperiis, non offensionibus, non cladibus, sed tri-  
umphis sœpè Victor evasit. Ejus ideo Virtus &  
fortitudo nota est seculo, nota est orbi: Quicquid  
enim in Brabantii s ad Namurcum campis, quic-  
quid in ripis Rheni ad Moguntiam summa forti-  
tudine gessit, ibit in postuma, Venit, Vedit, Vicit  
ibi alter Julius Cæsar; imò velut alter Arminius  
jam ferè fugientis Germaniæ Stator libertatis, ad  
Rheinfeldiam docuit, nec lilia Gallicah ac planta-  
ri in rupe, nec Gallum hâc in petra posse nidum  
ponere, quô adfluenta confluentes ad Confluen-  
tiā hostium copiæ cæperunt diffluere. Absens  
quoque auspiciis suis non minus felix, suos præ-  
buit ad victoriam Divos, fortuna per Duces Ejus  
circumducta, quod Hungaria, Peloponesus, im-  
primis verò caput Regni Sarmatici per antiquare-  
galis illa sedes Buda testatur, ibi enim haud ita  
pridem armis Cattorum honoris & antiquæ so-  
cietatis populi, <sup>(a)</sup> Lunæ Ottomannicæ cornua fe-  
liciter sunt contusa. <sup>(b)</sup> Quibus autem præconiis  
illustrißima facinora omnia enarrabo, Ille enim  
plura fortiter gessit,*

— quam quæ comprehendere dictis  
in promptu mihi sit. <sup>(c)</sup>

*Objiciat autem unus vel alter, quis jam in tali  
Martis pullô PAGIS artes querere vult? at-*

<sup>(a)</sup>v. Tac. de mor. Germ. §.9. <sup>(b)</sup>v. Curiosen Geschichts-Calender Leopoldi I. p.49.

<sup>(c)</sup> vid. Metamorp. lib. 13.

tamen nemo illas felicius colit, nemo suis rectius  
præest, dumque capaci animo fataterrarum sol-  
licitus librat, ut enim florentem præprimis Patriā  
haberet, omnia consilia hactenus contulit, in  
PACE non minus quām in bello Magnus, non  
palmæ magis, quām olivæ amans, bellicam non  
minus, quām togatam, præmiis excitavit virtu-  
tem, semperque omnia consiliō præveniens, ne  
publicam quicquam turbaret tranquillitatem.  
Hinc medio ardente & flagrante bello, maximū  
duxit esse cæterisque Europæ Proceribus, Marti  
finem imponere; nec magis gloriosum urbes belli  
vi occupare, quām alias PACIS causâ reddere:  
Cūm melius putat esse, terras proprias augere con-  
servatione, quām Provinciarum aliarum acqui-  
sitione<sup>(d)</sup>. Et quis satis dotes Ejus omnes quibus  
præ aliis est prædictus explicare audet? de quibus  
nihil reverentius effari possum, quām quod olim  
de Carthagine pronunciabat Salustius: Tacere  
satius esse, quam pauca dicere. Etsi enim PRIN-  
CEPS GENEROSISSIMUS verborum com-  
pendio appelletur, Pietatis, Libertatis, Patriæ  
Principum Vindex, seculi Reparator, literarum  
Parens, hostium Victor, asylum affictorum,  
Fulcrum Imperii, nondum tamen dicta fuerint  
omnia: Quodcunq; enim altum est, Illi libenter  
cedit, quodcunque magnum est minus est Illo.

Illudque

(d) v. l. 7. §. 8. ff. de bon. damn.

*Illudque quod olim Rector Academiæ Rudolphi-  
Albertinæ Piripachius de Gloriosissimo Impera-  
tore LEOPOLDO I. prognosticabat, de CARO-  
LO Nostro jure dici posse quis dubitat?<sup>(e)</sup> Dedit  
enim quoque Theologo virtutes, quas commen-  
dare: JCto leges, quas observandas urgere:  
Medico hostium suorum sanguinem quem exa-  
minare: Poëtæ quod canere: Historico quod  
narrare: Arithmeticò quod numerare: Geo-  
metræ quod designare: Astronomo quod obser-  
vare potest: bella nempe victorias, laureos, tri-  
umphos, pacem & felicitatem. Propterea,*

*Lætare Hassia CAROLUS imperat<sup>(f)</sup>.*

*Ille enim est clypeus & arx Iuus inexpugnabilis,  
Ille est Deus tutelaris terræ tuæ: Ille in templis  
tuis curat pietatem, in foris justitiam, in urbibus  
modestiam in castris disciplinam, ubique virtu-  
tem: Cujus Aula pietatis ac veritatis sanctissi-  
mum est delubrum, vitæ verè Gymnasium; Tem-  
perantiæ, sobrietatis, fortitudinis, Generositatis  
splendidissimum Palatum; procul hinc illa olim  
in aula ALEXANDRI consuetapoctorum cer-  
tamina<sup>(g)</sup>, procul hinc apud XERXEM aliâs  
solita luxuriæ gaudia<sup>(h)</sup>, procul inquam hinc, scur-  
rarum ac sannionum gerræ, omnia bachantia per  
Europam vitia. Cujus CURIA templum est  
sanctitatis, justitiae, consilii; periclitantium cer-*

*F tissimum*

(e) v. Theatr. Europ. tom. 8. p 595. (f) Conf. Theat. Europ. tom. 8. p. 1015.

(g) v. Dresser. Isagog. hist. part. i. p. m. 336. (h) Valer. Max. lib. 9. cap. ii.

tissimum Asylum; laborantium fidissimus portus; Abest hic Gallorum pessimo more invalida avaritia<sup>(i)</sup>, abest prodiosum officiorum & jurisdictionis mercimonium, Romæ aliâs quoque inusu, nam sunt

— Venalia Romæ,

Templa, Sacerdotes, altaria sacra, coronæ:<sup>(k)</sup>  
*Hic autem versantur à consiliis Viri non magis antiqua nobilitate, quàm virtute illustres; hic omnia impedita expediuntur, CONSILIO & VIRTUTE, imò CANDIDE & CONTSANTER.* Lætare Hassia CAROLUS imperat, in quô NATURA, VIRTUS ac FORTUNA domicilium fixêre: Quem cælum hōc seculō misit ut lapsa erigeret, dilapsa colligeret, depravata corrigeret, denuò ex crearet animata. Ergò Hassia, surge hodierno die persolve grates CAROLO Tuo; ne violare videaris JUS illud Naturæ, quòd PRINCIPEM non summâ colas benevolentiam, Gui tamen felicitatem tuam debes; Si enim PRINCIPEM ames, publicum ames bonum, in cuius fide tutelavé omnia sunt posita<sup>(l)</sup>; Surge & adora beneficentissimum isthuc Sidus, quod hocce die An. M. DC. LIV. Auspice DÉO primum salutavit mundū, & è quô tot amoris influxus totam inundarunt

Patri-

(i) Conf. Lanf. Consult. Orat. contra Galliam p. m. 247.

(k) Mantuan libr. 3. calamit.

(l) v. Aldrobrand. apophtegm. de perfecto Principe p. 21.

Patriam; Surge & mecum ingemina, quamvis  
non more æthiopum in regione Monomotopa,  
quoties enim eorum Rex sternutat, universa ejus  
Metropolis exclamando salutem appreccatur:<sup>(m)</sup>  
tamen ex intimis sensibus: Ut Vivat CARO-  
LUS PATER PATRIÆ AUGUSTISSI-  
MUS! Ut Vivat Sacro Romano Imperio in robur  
& ornementum! Ut Vivat DEO! Ut Vivat  
SIBI! ut Vivat TIBI! quæ ex spiritu Ejus spiritum  
ducis. Vosque Heliconis alumni, exclamate  
hodie ut Vivat CAROLUS novus quasi lite-  
rarum Parens, Qui literis vitam dat easq; inter  
ardua Sceptri negotia curæ sibi esse finit<sup>(n)</sup>: Qui  
verò exemplô CAROLI M.<sup>(o)</sup> FRIDERI-  
CI II. Imp. illius πολύγλωττος<sup>(p)</sup>, imò laudabili insti-  
tuto WILHELCMI, MAURITII ac HER-  
MANNI Hassiæ Landgraviorū<sup>(q)</sup> studia ubiq;  
excitat & refovet, reverentiamque literarum, ubi  
ubi potest, constanter propagat. Virosque do-  
ctos famaque conspicuos inexhaustis liberalitatis  
radiis perfundit, in signis Taciti moniti haud  
ignarus: Sublatis studiorum pretiis studia  
quoque perire<sup>(r)</sup>. Verùm, SERENISSIMUS  
PRINCEPS non vanè creditus est, hominem  
miraculum illud divinum, quod, inter stupenda

DEI

(m) v. Weber. font. 60. p.368.

(n) Sunt ipsissima verba Serenissimi Principis ad DD. Dexbachium & Tesma-  
rum allegatos Academiæ Marpurgensis ad Comitia Provincialia an. 1682.

(o) Wolf. Grünigius in quæst. an Doctoratus nobilem dedebeat?

(p) Petr. de Vineis Epist. lib. 3. Epist. 67.

(q) Treuler. in Orat. Funebr. Wilhelm. Haff. Landgrav. (r) v. Tacit. lib. XI. annal.

*DE* l'opera aliâs augustius elegantiusque existit<sup>(s)</sup>, tam varium & multiplicem esse, ut difficillima omnium nobilissimaque sit ars illud imperio recte regere ac gubernare, hanc verò non nisi experientia & scientia literarum addisci; & illum haud feliciter imperare, qui indolis ac temperamenti ejus regionis ac gentis cui imperat est ignarus, naturam verò regionis ac gentium latere rudi ac indocto<sup>(t)</sup>. Præterea novit quoq; nullum esse, cui sapientia magis conveniat quam PRINCIPI, cuius doctrina omnibus debet prodesse subjectis<sup>(u)</sup>. Tuq; Ecclesia hodie preces quoq; funde, ut Vivat CAROLUS RELIGIOSISSIMUS! Qui exterminat impietatem ut eō magis Vivat pietas, vigeat ecclesia, floreat schola. Vosque DICEARCHI & quotquot adestis TRIBONIANI THEOPHILI ac DOROTHEI, exclamate mecum ut Vivat JUSTISSIMUS PRINCEPS! Qui vobis dat leges quas observandas urgere potestis: Qui justus est in DEUM, justus in superiorem, justus in aquales, justus in inferiores: Qui Justitiam & quâ administrat staterâ, dispertitur justa bilance sine omni aspectu vel affectu, pariseveritate & clementiâ, ut nec opulenti in justum aliquid patientur, nec plebs contumeliam accipiat<sup>(w)</sup>, ut reis timorem incutiat, innocentibus animum addat, ut ingenio pem, afflicti subsidium, oppressi patrocinium habeant, suoque exemplo ministros suos sibi similes faciat. Et vos tandem cuncti Ejus subditi hodie, hodie pia colligite vota, hodierno Augusto die! Die Magno! Die felto, pio celeus mate acclamate & conclamate:

SALVE feste Dies toto Venerabilis ævo!

SALVE PATER PATRIÆ AUGUSTE, in augusto omnium bonorum datore hoc III. Augusti die! VIVE, SPLENDE! AUGUSTE PRINCEPS, cor & anima nostræ Republicæ<sup>(x)</sup>; Vive CAROLE Principum gemma, Regum decus, Ara Clementiæ Ara Amicitiæ<sup>(y)</sup>: Qui plane ad Homericum perfecti Regis ac Principis exemplares, Αμφότεροι Εαστλεὺς Τάγα θός, κερατέρος τὸ αἰχμῆτης<sup>(z)</sup>: Qui Majestas es Publica, Tutela civium, Cura Religionis, Vita Cattorum, Custodia legum: Vive CLEMENTISSIME PRINCEPS, Qui cum TITO diem illum per didisse existimas, quô nihil cuiquam præstisti<sup>(a)</sup>: Qui omnes oppresos egenosque juxta symbolum CONSTANTII Imp. Patiens sit Principis auris<sup>(b)</sup>, facilis admittis, ipsorum querelas more SALAMONIS, qui ipsas etiam meretriculas de filiolo noctu oppreso contendentes audivit, pro pitiis auribus excepis<sup>(c)</sup>. VIVE, VIGE, VALE, & quoties latus hic recurrit dies, vigore novo, viribus integris, novam vivendi periodum redauspicer! VIVE in columis, in annos pluros maneas superstes! Tua enim ope Religionem & Libertatem, Pacem & Concordiam conservatam & florentem videmus: Idcirco, quemadmodum olim Plato naturæ gratias egit, quod natus esset homo, non bellua; masculus non femina; Græcus non Barbarus; præsertim vero Socratis temporibus: Ita nos Tui Servi Divinæ Majestati hymnos laudum & gratiarum purissimò corde decantamus, & decantabimus, quam diu hujus lucis fruamur usurâ; quod nos fecerit homines, quod Christianos, quod Hassos, & cum primis quod vitarum nostrarum periodum in hoc produixerit seculum, atque ad tempora Tui, GLORIOSISSIMI NOSTRI PRINCIPIS CAROLI AUGUSTI<sup>(d)</sup>. Ne autem cymba mea licentius in hoc immensô laudum aut encomiorum oceanô vagetur, ne longiori sermone Clementiam SERENISSIMI PRINCIPIS morer, ideo vela contraho, cum non minus etiam Magnam Virtutem esse desinere, quam scire dicere<sup>(e)</sup>. DEUM solùm precor, ut servet nobis, Ecclesiæ, Germaniæ CAROLUM I. quem, non iræ suæ testem, sed benignitatis in genus humanum dispensatorem dedit. Servet SERENISSIMAM PATRIÆ MATREM servet PRINCIPEM HÆREDITARIUM, & CÆTERA SACRA ILLA PUBLICÆ SALUTIS PIGNORA, ut semper vigeant, semper floreant, & triumphent

FELICITER. (f)

(s) Conf. Excellentiss. Dn. Kestner. Profess. hujus Acad. celeber. Prudent. Jur. Nat. cap. I. §. 1.


(t) Bodin. Method. Histor. p. 59. (u) Cicer. lib. i. de Divinat. (w) Tacit. lib. XI. Annal.

(x) Arist. lib. 5. polit. cap. 10. (y) Savedr. Symb. 21. p. 160. (z) Conf. Homer. Iliad. 3.


(a) vid. Guevar. lib. 3. hor. princ. cap. 31. (b) Hildebrand. in Synopsi. Histor. Univers. p. 133,

(c) Libr. 1. Reg. cap. 3. v. 16. (d) Conf. Lans. Consult. Oration. pro German. in fin. p. m. 120.

(e) v. Sen. lib. 9. Controv. 5. (f) Theat. Europ. tom. 10. p. 409.







43 18

30.-

~~6925  
cat.~~

B 6 u 14 1966 F.

Hst of

D S W A D V E L G E L  
L e i p z i g , K o n i g s s t r . 1  
S e c h s z a u g e n & A u t o m o b i l - L a u f a r



Der muntre, tapfre Prinz, ein Feind von langen Hoffen,  
Des Liebe Meer und Land zeithero unterbrach,  
Freut sich, daß nun sein Wunsch in so weit eingetroffen,  
Dß nach der langen Nacht sich zeigt der guldne Tag;  
Da Er, was der Geist umfangen  
Mit so brünstigen Verlangen,  
Dessen Feuer, dessen Gluth  
Dämpft kein Meer, loscht keine Fluth,  
Endlich in die Arme fasset, als ein unschätzbares Guth.

So groß mein Hosen war, spricht Er, wars doch zu wenig,  
Wenn Ich, den hohen Schatz damit vergleichen soll,  
Den Mir der weise Fürst, der Britten grosser König,  
Jetzt sendet zum Gewinn, und meiner Liebe Zoll:  
Was vor Dank soll ich Ihm geben?  
Wie soll Ich verbunden leben?  
Carolina, Deinem Geist  
Wird kein Opfer, wie es heist,  
t nach Würden angezündet, wenns auch Gold und Weyrauch  
speist.

Catten, meinem Volk, und der Cherusker Sprossen,  
Sunt dieses Glückes Strahl den allerschönsten Tag;  
Venn der Himmel sonst der Pallas Bild gegossen,  
Id es noch Troja schenkt, da me kein Wohl gebrach;  
Dis Palladium soll Hessen  
Chren, und niemahl vergessen,  
Dß es ein Geschenke sey,  
Dß der grössten Lieb und Treu  
würdig, denn es bringet dir die guldne Zeit herben.

Musen, welche sich am Leine-Fluß ergözen,  
enn sich ihr stiller Geist ins Alterthum vergräbt,  
Monen sich dies Band zu jenem hinzusezen,  
Heinrich recht vergnügt mit Adelheid gelebt,  
Da das Glück auf guldnen Wagen  
Hessen damahls hat getragen;  
Da ixt Cassels Friederich  
Liebt Mariam inniglich,  
sein Hoff ein solches Eden, und sein Land ein Seegens-Strich.

